QUAESTIONIS

DE BONORUM APUD PLATONEM GRADIBUS PARTES QUAEDAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA
FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE VIII. M. JULII A. MDCCCLXI
HORA XI.
IN AUDITORIO MAXIMO
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GEDALJAH LOEWE.
RATIBORIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUMT

G. BAUER, PHIL. DR.
B. HAENISCH, PHIL. STUD.
F. RICHTER, PHIL. STUD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSERUNT ROSENTHAL EIUSQUE SOC.

Ἀριστοτέλης ἀεὶ διηγεῖτο τοὺς πλείστους τῶν ἀκουσάντων παρὰ Πλάτωνος τὴν περὶ τἀγαθοῦ ἀκρόασιν . . . προσιέναι ὑπολαμβάνοντας λήψεσθαί τι τῶν νομιζομένων τούτων ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν, οἷον πλοῦτον, ὑγίειαν, ἰσχύν, τὸ ὅλον εὐδαιμονίαν τινὰ θαυμαστήν. ὅτε δὲ φανείησαν οἱ λόγοι περὶ μαθημάτων καὶ ἀριθμῶν καὶ γεωμετρίας καὶ ἀστρολογίας, καὶ τὸ πέρας ὅτι ἀγαθόν ἐστιν ἕν, παντελῶς οἶμαι παράδοξόν τι ἐφαίνετο αὐτοῖς.

Aristoxenus Harm. Elem. II p. 30 ed. Meibom.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

CAPUT I.

Kantius[1]) rationem humanam aedificare non minus quam aedificata diruere strenuam esse dixit, ita quidem, ut, quaecunque aedificia magno labore construxerit, iis evertendis laetetur firmitatem fundamentorum indagatura. Ejusmodi artifex ne suis quidem operibus parcens Plato quum in multis dialogis tum in Philebo nobis apparet, in cujus fine disputationem, quam summa cum arte jam absolutam credideris, novis principiis allatis funditus quasi evertere videtur. Quod nostrum de Philebi fine judicium quibus rationibus nitatur ac firmetur, ut explicemus, dialogi argumentum transcursu quidem accuratiori quaestioni proludentes nunc enarremus.

Quaestioni in exordio Philebi propositae utrum voluptas an scientia finis bonorum sit, primum fundamentum subjicitur disceptatio de generibus et formis ἓν καὶ πολλὰ καὶ ἄπειρα, qua viam disserendi et analyticam et syntheticam eo consilio illustrat, ut et scientiarum et voluptatum varia genera discernantur, neve, quum omnia simpliciter bona dicantur, fraus admittatur. Deinde boni illius, quod quaeritur, signa afferuntur, ut et in se perfectum sit (τέλεον) et naturae suae sufficiens (ἱκανόν) et omnibus optabile (αἱρετόν). Quae signa quum neque in vitam voluptatis plenam neque in eam, quae mente et scientia perfruatur, quadrent sed altera alterius ita indigere videatur, ut vita non sit vitalis, nisi ex utraque mixta et temperata sit, illarum neutri sed mixtae demum vitae palma deferenda esse judicatur, illud unum dubium relinquitur, utra sit praestabilior, vo-

1) Kant Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik S. 5: Die menschliche Vernunft ist so baulustig, dass sie mehrmal den Thurm aufgebaut und wieder abgetragen hat, um zu sehen, wie das Fundament desselben wohl beschaffen sein möchte.

luptas an mens atque scientia. Cui quaestioni novum fundamentum substruit. Ad summum enim genus voluptatis et mentis exquirendum summa rerum omnium principia constituit, infinitum, finitum, mixtum et causae genus. Voluptatem ad infinitum, mentem et intelligentiam ad causae genus refert eamque a mente et ratione divina, summa causa rerum omnium, derivat. Voluptatis genere constituto formas quoque ejus indagaturus, in qua sede illa oriatur, quaerit. Qua propter restitutionem sublata vivendi concordiae ad genus mixtum revocata sive corporis sive animi sive utriusque et puras impurasque et veras falsasque et bonas malasque voluptates discernit[1]). Illis principiis ad sedem voluptatis eruendam adhibitis nova ad judicium de voluptatis dignitate ferendum adjicit. Discernit enim in rerum natura generationem (*γένεσις*) et essentiam (*οὐσία*). Voluptas, quum ad generationem, bonum autem ad essentiam referatur, voluptas bonum esse non posse, iterum evincitur 55a.

Accedit ad cognitionum, artium ac disciplinarum genera discernenda, quarum, prout magis minusve a veritatis laude absint, quinque gradus designat. Primum locum philosophus dialecticae seu philosophiae tribuit, secundum disciplinis mathematicis purioribus, tertium vulgaribus, quartum artibus operariis iis, quae aliquid firmitatis atque veritatis disciplinarum mathematicarum adjumento debent, ultimum iis artibus, quae, quum illo adminiculo destitutae sint, omni veritate prorsus carent et usu solo atque exercitatione continentur.

Voluptatis et mentis scientiarumque generibus et formis constitutis ex hac tanquam materia sibi comparata eas partes exquirit, quae ad optimae vitae opus fabricandum necessariae sint, tanquam

---

1) Quod Trendelenburgius in libro suo de Platonis Philebi consilio pag. 9. voluptates aut ex pietate et sanctitate aut ex integra cognitione ortas ab iis, quae in sublatae vivendi agendique concordiae restitutione cernantur, disjunxit, hanc autem restitutionem cum repugnatione doloris conjunxit, id mihi probare non potui. Diserte enim Plato restitutionem harmoniae tanquam primariam voluptatis definitionem in omnes ejus formas quadrantem designat. cf. Phileb. p. 42 d. *καὶ πάνθ' ὁπόσα τοιαῦτα ὀνόματα ἔχει.* Hanc autem restitutionem non semper conjunctam esse cum repugnatione doloris, ostendunt voluptates cum indigentiis, quae sensibus occultae sunt, consociatae cf. Phil. 51 b.

modulo utens illius boni notis, quas supra attulit, ut sit τέλεον, ἱκανόν, αἱρετόν. Itaque quum scientiarum quidem serie superiores vel veritatis magis minusve participes solas ad vitae humanae necessitates suppeditandas minime sufficere intellexerit, non has solas sed etiam inferiores et fraudi obnoxias ad vitam optimam efficiendam admittit. Voluptates vero utrum veras solas an alias quoque admittere liceat, dubium videtur; itaque novam normam parat quaerendo, quaenam et voluptatum et artium genera propositae illius consociationis capaces sint. Num verae voluptates cum scientiis misceri possint, id quum nihil dubitationis habere videatur, praetermittitur. Illa norma inventa id tantum quaeritur, cum quibus ceteris voluptatibus verae voluptates et scientiae societatem initurae sint. Excluduntur omnes vehementes et malae voluptates, admittuntur, quaecumque cum sanitate, temperantia, omni virtute conjunctae sunt 59d—64a.

Ac nunc quidem lectori quaestio ad finem propositum pervenisse forte videatur. Constituta enim est vita optima et ad genus mixtum revocata, indagata, et composita sunt elementa ad eam unitatem, quae et partium concordia firmetur ac servetur et normae illi, ut perfecta, sibi ipsi sufficiens, optabilis sit, respondeat. Neque elementa sola sed etiam certus eorum ordo constitutus est. Nam quisquis eorum meminerit, quae Plato de voluptatibus ad generationis et de scientiis ad essentiae genus revocandis dixit, illis quidem secundum, his vero primum locum designare non dubitabit.

At tantum abest, ut in hac totius disputationis summa philosophus acquiescat, ut novas afferat notiones easque tanti ponderis, cujus e mole aedificio tam operose composito certa ruina imminere videatur. Novum enim elementum mixtioni postulat veritatem, sine qua nihil in hoc mundo subsistere queat. Sed quid sibi vult haec mixtionis veritas, quam si in singulorum elementorum veritate ponis, explicationem non habet, quod eae artes et scientiae, quae paululum vel nihil veritatis contineant, tamen propter necessitates, quas vivendi ratio exigat, ad mixtionem admissae sunt. Sed potest fortasse ad ea responderi, salvam manere veritatem in mixtione, quatenus haec ipsa libera sit ab omnibus elementis, quae ab ipsius mixtionis consilio aliena sint. Et re vera habet haec responsio speciem aliquam veritatis, si locum Phil. 53a respicias, quo dicitur, verissimum colorem albedinem esse, quippe cui ne minima quidem alius coloris particula

admixta sit. Attamen, tantum abest, ut veritatis cum puritate convenientia illam difficultatem tollat, ut augeat. Qua ratione ductus Plato in albo potissimum colore puritatem cum veritate convenire dicit? Quia albus color simplex neque ex duobus vel pluribus coloribus compositus est. Itaque puritas et veritas totius rei ibi tolli non potest impuritate elementorum, quum elementorum varietas omnino non adsit. Mixtionis tamen nostrae ratio alia est. Ei enim veritatis laudem tribuere non possumus, si pura quidem est ab elementis natura sua alienis, elementis tamen constat veritatis non participibus. Cujus difficultatis tantum abest, ut philosophus noster rationem habeat, ut rapido cursu ad finem dialogi festinet, necopinanti lectori novum aenigma praebens. Dicit enim se nunc demum ad vestibulum boni pervenisse. Lector philosophum per ambages quaestionis aspero certe itinere usque ad vestibulum aedificii secutus in illam ipsam ab eo non introducitur. Paucis verbis cum dignatur, quibus bonum ipsum ad modi notionem revocat, quippe qua accedente mixtio et exoriatur et exoptabilis fiat. Frustra lector qualis sit vis et natura hujus notionis, quaerit. Interlocutorem autem Protarchum, qui lectoris quasi partes tuetur, Plato mirabili cavillatione obscurissimas quasque sententias tamquam simplicissimas Socrati disputationis moderatori concedentem facit. Possit forte aliquis in illius causae natura indaganda de notionibus, quibus jam in exordio dialogi philosophus ad optimam vitam eruendam usus est, ut sit perfecta, sibi sufficiens et optabilis, cogitare. Certe enim id, quod perfectum et sibi ipsi sufficiens est, propter has ipsas virtutes desideratur. Itaque modus ille cui bonum congruere et propter quem bonum exoptari dicebatur, convenire forte videatur cum primis boni notis, quibus eandem vim esse intelleximus. Adde quod modus ille causa habetur, qua mixtio et exoriatur et a specie merae coacervationis se ipsam suaque elementa perdentis defendatur. Nonne illum antecedente dialogi parte eo servatum esse videmus quod eae solae voluptates et scientiae ad mixtionem admissae sunt, quae omnino inter se sine calamitate consociari queant? At Plato perfecto fere dialogo se in vestibulo demum boni esse ratus in aedibus non eas notiones collocare potuit, de quibus jam in dialogo ipsa verba fecerat. Cui difficultati aliae accedunt. Ex modo enim et symmetria pulcritudinem oriri dicit, ita ut his tribus notionibus sublimius quoddam bonum contineri

videatur, quo vita mixta ut bona sit, efficiatur. Quod qua ratione fiat, praegressa quidem dialogi parte non demonstratum est.

Constituit deinde, ut tria illa boni signa cum voluptate pariter ac mente et scientia conferantur, ut dijudicetur, utra sit praestabilior vel summo bono cognatior. At nonne res jam supra omni ambiguitate liberata est, quum bonum ad essentiae, voluptas ad generationis genus revocata sit? Sed quaestio, cur Plato hanc comparationem neglexerit, minoris momenti est quam aliae ex comparatione voluptatis et scientiae cum boni notis instituta redundantes. Plato enim non eas voluptates, quae ad mixtionem admissae, sed eas, quae ab illa exclusae erant, cum boni notis ad judicium de dignitate utriusque mixtionis partis ferendum comparat. Voluptates veritatis laude destituuntur, quod amantes etiam perjuria sibi permittant nec magis moderationis laudem merentur, quia vehementia exultent, pulchrae autem haberi non possunt, quia turpitudinis suae consciae lucem fugiant, noctem quaerant (Phileb. 66a). Quae omnes vituperationes quantum absit, ut in veras et cum temperantia et sanitate junctas voluptates, quae solae ad mixtionem admittebantur, quadrent, nemo est, quem fugiat. Menti et scientiae omnes laudes attribuuntur, scientiarum inferiorum, quae, licet ad mixtionem pertineant, veritatis tamen non participes sunt, ratio non habetur. Quae quum ita se habeant, prima quidem specie Platonem fugisse videtur, eum has novas notiones cum mixtione optimae vitae conferendo illa ipsa mixtionis elementa, in quibus et eligendis et illustrandis maxima dialogi pars versata erat, fundamentis destituisse et ex mixtione fere sustulisse. Quid, quod tametsi omnia bene cesserant, omnes denique mixtionis partes iterum inverso quidem ordine enumerat a boni notis, quas in fine dialogi commemoraverat usque ad scientias, in quibus tanquam materiam optimae vitae posuerat, quinque gradibus descendens. Sed haec nuda nominum enumeratio novas tantum difficultates prioribus adjicit. Novae partes adjectae: ex iis, quae in dialogo commemoratae sunt, nonnullae ejectae videntur. Neque quo fonte hi quinque gradus derivati neque qua ordinis ratione dispositi sint, neque quibus vinculis vel singulorum graduum partes vel gradus ipsi inter se contineantur, neque cur hi ipsi quinque exstiterint, demonstratur. Ejusmodi difficultates proponere re vera Platonis est excitantis magis studia lectorum quam ad certum finem perducentis. Neque mihi

mentem et sensum Platonis Cicero assecutus esse videtur, qui cum majore certe nostri philosophi quam veritatis studio in ejusmodi obscuris sententiis, quae aut nondum ab eo intellectae sint aut omnino intelligentiae humanae vim fugere ei videantur, caeca fide venerandis acquiescit[1]). Superbis enim illis magistris Plato non similis erat, quorum discipulos Goethius noster divina, qua pollet, cavillatione in Faustio[2]) increpat. Multum profecto aberat, ut in scriptis suis se templum istiusmodi exstruere simularet, ad cujus altare, qui sederent, tuti forent ab omni dubitationis impetu. Sed quum veram sapientiam tantum penes deum[3]), hominis autem scientiam perpetuo fluctui et mutationi obnoxiam esse[4]) intellexisset, homini, quam diu hac in terra viveret, id propositum esse voluit, ut ad veritatem quam proxime accederet[5]). Magistri praeclarissimi vestigia sequens dialectica arte aliorum *δοξοσοφίαν* evertit, illud studium sapientiae promovit, doctrinam vero etsi Socratica longe perfectiorem, non tamen omnibus ex partibus absolutam, cujus in certa tutaque possessione discipuli acquiescere possent, reliquit. Accedit,

---

1) Cicero Tuscul. 1. 21: Ut rationem Plato nullam afferret, vide quid homini tribuam, ipsa auctoritate me frangeret.

2) „Im Ganzen haltet euch an Worte,
„Dann geht ihr durch die sichre Pforte
„Zum Tempel der Gewissheit ein.

3) Plato, Parm. p. 134c., Phaedr. p. 278d: *τὸ μὲν σοφὸν* (sc. *αὐτὸν*) *καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν, τὸ δὲ ἢ φιλόσοφον ἤ τι τοιοῦτον μᾶλλόν γε ἂν αὐτῷ ἁρμόττοι καὶ ἐμμελεστέρως ἔχοι.*

4) Plato Conv. p. 207e: *πολὺ δὲ τούτων ἀτοπώτερον ἔτι, ὅτι καὶ αἱ ἐπιστῆμαι μὴ ὅτι αἱ μὲν γίγονται, αἱ δὲ ἀπόλλυνται ἡμῖν, καὶ οὐδέποτε οἱ αὐτοί ἐσμεν οὐδὲ κατὰ τὰς ἐπιστήμας, ἀλλὰ καὶ μία ἑκάστη τῶν ἐπιστημῶν ταὐτὸν πάσχει. ὃ γὰρ καλεῖται μελετᾶν, ὡς ἐξιούσης ἐστὶ τῆς ἐπιστήμης, λήθη γὰρ ἐπιστήμης ἔξοδος, μελετὴ δὲ πάλιν καινὴν ἐμποιοῦσα ἀντὶ τῆς ἀπιούσης μνήμην σώζει τὴν ἐπιστήμην, ὥςτε τὴν αὐτὴν δοκεῖν εἶναι. τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ πᾶν τὸ θνητὸν σώζεται οὐ τῷ παντάπασι τὸ αὐτὸ ἀεὶ εἶναι ὥςπερ τὸ θεῖον, ἀλλὰ τῷ τὸ ἀπιὸν καὶ παλαιούμενον ἕτερον νέον ἐγκαταλιπεῖν οἷον αὐτὸ ἦν.*

5) Plato Republ. VI. 505a; Conviv. p. 211b. *σχεδὸν ἄντι ἅπτοιτο τοῦ τέλους.*

quod nemo melius Platone debilitatem atque inopiam, quum omnium litterarum tum earum, quae ad philosophiam pertinent, intellexit, imaginibus eas aequiparans species viventium personarum prae se ferentibus, ad quas si quid interrogaturus accesseris, in silentio admodum verecundo permanent[1]). Attamen multos dialogos multaque cum cura composuit, sed in ejusmodi formam eos redegit, ut vivis, qui vulgo dicuntur, sermonibus quam simillimi sapientiae studium, ad quod omnem opinatam sapientiam revocaverat[2]) gymnastica ratione corroborarent et promoverent. Itaque in dialogis suis quaestionem propositam ad certum quidem finem raro perducit, saepissime aut in aliorum sententiis refutandis acquiescit, aut aliam quaestionem alia obtegit, aut aliam alii ita opponit, ut aut nihil certi aut pauca tantum eaque minime inter se conjuncta lineamenta inde elucescant, ex quibus ei, qui philosophum per ambages disputationis vix secutus sit, ea imago, quae animo illius forte proposita fuerit, perficienda relinquitur. Tali negotio is solus par est, qui, ut Platonis ipsius verbis[3]) utar, animum habet accomodatum (*ψυχὴν προςήκουσαν*), in quo priorum orationum semen non sine fructu remansit, sed semen reliquit immortale, unde facultatem trahat sibi auxilium ferendi. A qua summa certe Platonicae philosophiae interpretis laude, quantum absimus, minime nos fugit. Multa Schleiermacheri, Trendelenburgii, Stallbaumii, Hermanni, Ritteri, Brandisii, Zelleri, Steinharti virorum et doctrinae ubertate et ingenii acumine illustrissimorum scriptis satis notis debemus, qui faces viam quaerenti praetulerunt, a quorum vestigiis etiam ubi discessimus, lucem tamen, qua nostram viam invenerimus, ab iis nos accepisse ingenue profitemur.

---

1) Plato Phaedr. p. 275d: *δεινὸν γάρ που . . . τοῦτ᾽ ἔχει γραφὴ καὶ ὡς ἀληθῶς ὅμοιον ζωγραφίᾳ. καὶ γὰρ τὰ ἐκείνης ἔκγονα ἕστηκε μὲν ὡς ζῶντα, ἐὰν δ᾽ ἀνέρῃ τι σεμνῶς σιγᾷ κτλ.*

2) Plato Phaedr. p. 278d.

3) Plato Phaedr. p. 276e: *πολὺ δ᾽ οἶμαι καλλίων σπουδὴ περὶ αὐτὰ γίγνεται, ὅταν τις τῇ διαλεκτικῇ χρώμενος λαβὼν ψυχὴν προςήκουσαν φυτεύῃ τε καὶ σπείρῃ μετ᾽ ἐπιστήμης λόγους, οἳ ἑαυτοῖς τῷ τε φυτεύσαντι βοηθεῖν ἱκανοὶ καὶ οὐχὶ ἄκαρποι, ἀλλ᾽ ἔχοντες σπέρμα ὅθεν ἄλλοι ἐν ἄλλοις ἤθεσι φυόμενοι τοῦτ᾽ ἀεὶ ἀθάνατον παρέχειν ἱκανοί, καὶ τὸν ἔχοντα εὐδαιμονεῖν ποιοῦντες, εἰς ὅσον ἀνθρώπῳ δυνατὸν μάλιστα.*

Nostrae autem quaestioni quum non ex Philebo solo, sed etiam ex aliis orationibus ad boni notionem pertinentibus et passim in philosophi nostri scriptis dispersis auxilium petendum sit, rem ita instituemus, ut primum quaenam sit boni apud Platonem notio, et ex Philebo et ex ceteris philosophi nostri scriptis ostendamus, deinde singulorum boni graduum vim et naturam illustremus ut denique, quid sibi velit tota series, judicari queat.

CAPUT II.

Etymologicam rationem qua notionum constituendarum prima experimenta fieri solent[1]), in notionis *ἀγαθοῦ* vi apud Platonem indaganda sequentibus Plato ipse nobis duas sententias proposuit in Cratylo[2]), quarum altera vocem *ἀγαθός* (bonus) ex duabus radicibus *ἀγαστός* (admirabilis) et *θοός* (velox) componi vult, altera eam et sensus et radicis affinitate ad vocem *ἀγαστός* solam revocat.

Altera explicatio quum neque grammaticae rationi productionem ultimae syllabae ex *θοός* ortae postulanti neque linguae usui nullum vestigium notionis 'velox' in notione 'bonus' nobis ostendenti respondeat, sophistarum illorum artificiis adnumeranda est, quorum absurditate patefacta Plato etymologiae in philosophia abusum illo libro facetissime deridet atque castigat. Sophistae enim quum Heracliti doctrina placita sua tuerentur, eam agitationem, qua ille omnes res perpetuo moveri docuerat, nominibus quoque rerum vel vocabulis indicatam voluerunt. Atque alteram quidem naturae partem segnius, alteram eamque meliorem et admiratione digniorem celerius moveri rati voces *θοός* et *ἀγαστός* unum idemque significare et ex utraque voce nostrum *ἀγαθόν* effictum esse putabant.

Melius etymologiae specimen ea explicatio praebet, quae voce

---

1) Arrian Epict. diss. I. 17: *ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις.*

2) Plato Cratyl. 422a: *οἷον τὸ ἀγαθὸν ἔφαμεν ἐκ τοῦ ἀγαστοῦ καὶ ἐκ τοῦ θοοῦ ξυγκεῖσθαι.* ibid. 412c: *καὶ μὴν τό γε ἀγαθὸν τοῦτο τῆς φύσεως πάσης τῷ ἀγαστῷ βούλεται τὸ ὄνομα ἐπικεῖσθαι.* ibid. *τούτῳ οὖν δὴ τῷ ἀγαστῷ αὕτη ἡ ἐπωνυμία ἐστίν.*

θοός omissa τὸ ἀγαθόν ad ἀγαστοῦ notionem solam revocat. Negari enim non potest necessitatem quandam inter utramque notionem intercedere, quum res bonae revera admiratione dignae habeantur. Neque defuerunt[1]) inter recentiores grammaticos, qui originationem illam ex Platonis Cratylo petitam probaverint suamque fecerint. Accuratius tamen quaerentibus nobis, 'quantum vox ἀγαστός ad boni naturam explicandam valeat, minime derivatio illa sufficiet. Admiratio enim, quam res quaelibet meretur, eam ipsam bonam non reddit, sed bonitate demum, qua res jam pollet, excitatur, vel si cum recentioribus philosophis loqui licet, vox admirabilis non primitivam vel constitutivam sed accidentalem tantum boni notam exhibet. Effectus autem rei quum facilior sit perspectu quam causa, qua sit effecta, fieri non potuit, quin illa nota tanquam intellectui proxima maxime in vulgus manaverit. Sed vulgarem boni definitionem nunc praetermittamus. Videamus, num accuratius vim et naturam admirationis perscrutantibus boni quoque nota nobis magis perspicua fiat. Qua in quaestione dux nobis esse potest originatio Latini verbi ‚admirari.' Mirari autem nihil aliud est nisi mentis actio re insolita vel incognita occurrente oriens. Quae si mentem non attingit, sed corporis tantum sensus movet, non miratio sed stupor excitatur. Quae vox quum cognata sit, graecae voci τύπτω, aptissima est ad eum corporis contactum, cujus mens ipsa non particeps est, indicandum. Quum autem ille contactus usque ad mentem progressus est, ita ut mens ejus conscia facta sit, illa, quo flagrat res sibi obversantes cognoscendi studio, incognitam quoque rem vel ejus speciem et consilium, quippe quo rei notio constituatur, cognoscere vult. Miratio igitur quaestio est quam mens sibi proponit, rei incognitae speciem et consilium indagans. Pro ratione autem inter speciem et consilium cujusque rei intercedente triplex esse poterit responsio, quam mens, quum rem jam cognoverit, sibi dabit. Prout enim rei alicujus species fini proposito aut nulla aut aliqua aut omni ex parte respondet, miratio aut in contemptionem aut in admirationem aut in statum ex contemptione et admiratione ita mixtum, ut aut huic aut illi propior sit, transibit. Quodsi bonum id est, quod

---

1) Hujus originationis auctor Herodianus laudatur ab Orione Etym. ed. Sturz Lips. 1820. p. 29.

admirationem excitat, bonum quoque id esse, cujus species consilio sibi proposito satisfaciat, evincitur. Graecae quoque linguae usus notionem mirandi et admirandi duplici voce *θαυμάζειν* et *ἄγασθαι* multis locis discernit. Sic Plato noster loco illo multum celebrato Theaet. 155d: *μάλα γὰρ φιλόσοφον τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν, οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη.* Eadem vis verbo *θαυμάζειν* ab Aristotele tribuitur [1]). Ubi vero mens rem, quam mirata erat, bonam esse intellexit, Plato *ἄγασθαι* ponit [2]). Quo discrimine exstincto verba *θαυμάζειν* et *ἄγασθαι* ab illo saepe commutantur. Ubi utrumque verbum in una eademque enunciatione usurpatur [3]), discrimen aut plane perspicuum est aut saltem gradatione quadam perlucet, verbo *ἄγασθαι* majorem, verbo *θαυμάζειν* minorem admirationem exprimente. Etsi cui forte Plato in Cratylo quidem voces *ἄγαμαι* et *ἀγαθός* per jocum contulisse videatur, is certe in Republica VI 500c, ubi omnis boni effectio vel virtus ex admiratione derivatur [4]), rem, in serium conversam esse non negabit. In rerum natura omnia seu animantia seu inanima admirabilia sunt. Suo enim quidque fini atque consilio prorsus satisfacit et congruit, itaque perfectum et bonum est. Multi quidem sunt, qui res admiratione dignissimas, quum saepius iis occurrerunt, admirari desinant. Animi autem cultioris est non in rara sola re haerere sed, quamcunque rem consilio suo satisfacere vel perfectam esse intellexerit, eam admiratione prosequi. Quum autem in rerum natura nihil solitarii sit, sed omnia inter se connexa sint, ita ut separari non possint, fieri

---

1) Aristot. Metaph. ed. Brandis A p. 7: *διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ πρόχειρα τῶν ἀπόρων θαυμάσαντες, εἶτα κατὰ μικρὸν οὕτω προϊόντες καὶ περὶ τῶν μειζόνων διαπορήσαντες ...... ὁ δ᾽ ἀπορῶν καὶ θαυμάζων οἴεται ἀγνοεῖν.*

2) Plato Republ. IV. 426d: *τοὺς ἐθέλοντας θεραπεύειν τὰς τοιαύτας πόλεις ἄγασαι τῆς ἀνδρείας καὶ εὐχερείας;*

3) Plato Phaedo 88d: *πολλάκις θαυμάσας Σωκράτη οὐ πώποτε μᾶλλον ἠγάσθην ἢ τότε παραγενόμενος.* ibid. 89a: *μάλιστα ἐθαύμασα ὡς ἡδέως καὶ εὐμενῶς καὶ ἀγαμένως τὸν λόγον ἀπεδέξατο.* — Conviv. 180b: *μᾶλλον μέντοι θαυμάζουσι καὶ ἄγανται.*

4) *ἢ οἴει τινὰ μηχανὴν εἶναι, ὅτῳ τις ὁμιλεῖ ἀγάμενος μὴ μιμεῖσθαι ἐκεῖνο, ... Θείῳ δὴ καὶ κοσμίῳ ὅ γε φιλόσοφος ὁμιλῶν κόσμιός τε καὶ θεῖος εἰς τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ γίγνεται.*

non potest, quin quod fini suo satisfaciat, id ad aliarum quoque rerum fines explendos serviat. Itaque bonum aliquid dici potest aut, quod munus suum exsequitur[1]) aut propterea, quod aliam rem in munere suo explendo juvat (*τὸ σῶζον καὶ ὠφελοῦν*[2]), cui oppositum est *το κακόν*, quod et se ipsum et alias res laedit vel, quominus finibus satisfaciant, impedit.

Huic duplici finium generi in rerum quidem natura omnes res indole quadam, cujus conscientiam non habent, coactae serviunt. Homines autem, quum ad agendum non caeca necessitate, sed voluntate libera et sibi conscia incitentur, neque bene agere neque se ipsos bonos reddere possunt, nisi si boni certam habent notionem. Quam quum nacti fuerint, vel quum, quid bonum sit, intellexerint, boni non esse non poterunt. Quidquid enim bonum esse quis intellexit, id admiratur et ab admiratione ad aemulationem tanta vi ac necessitate abripitur, ut sponte quidem male quid facere nequeat, bene autem recteque agere maxime cupiat[3]). Quod desiderium cum potestate bene faciendi conjunctum virtus est[4]). Illam autem necessitatem inter quamlibet rem bonam et alias res per illam in finibus suis explendis adjutas intercedentem Plato in Lyside confirmat, ubi boni notionem ad amorem bonis rebus excitatum revocat. Ex proverbio enim quodam vetere[5]) pulchrum idem esse atque amicum colligit. Pulchrum autem atque bonum unum idemque. Atque quum voci *φίλος* et activi et passivi verbi sensus subsit, ut et id, quod amet et id quod ametur, significet, cavendum esse docet, ne boni activi verbi sensus tribuatur. Bonum enim et in se perfectum et absolutum est

---

1) Plato Republ. 340e: *ὥςτε δημιουργὸς ἢ σοφὸς ἢ ἄρχων οὐδεὶς ἁμαρτάνει τότε ὅταν ἄρχων ᾖ.*

2) ibid X 608e: *τὸ μὲν ἀπολλύον καὶ διαφθεῖρον πᾶν τὸ κακὸν εἶναι, τὸ δὲ σῶζον καὶ ὠφελοῦν τὸ ἀγαθόν.* ib. 609a: *οὐκοῦν ὅταν τῷ τι τούτων* (sc. *κακῶν*) *προςγένηται, πονηρόν τε ποιεῖ ᾧ προςεγένετο, καὶ τελευτῶν ὅλον διέλυσε καὶ ἀπώλεσε; — τὸ ξύμφυτον ἄρα κακὸν ἑκάστου καὶ ἡ πονηρία ἕκαστον ἀπόλλυσιν, ἢ εἰ μὴ τοῦτο, ἀπολεῖ οὐκ ἂν ἄλλο γε αὐτὸ ἔτι διαφθείρειεν. οὐ γάρ τό γε ἀγαθὸν μή ποτέ τι ἀπολέσῃ.*

3) Plato Menon p. 77b. sqq.

4) ibid.

5) Plato Lys. 216c: *καὶ κινδυνεύει κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν τὸ καλὸν φίλον εἶναι.*

neque quidquam praeter se ipsum expetit. Attamen non omne bonum propter se ipsum expetitur. Aegrotus amat medicum propter sanitatem, sanitatem autem propter alias res, ita ut continua quasi series rerum amatarum vel consiliorum et finium oriatur. Ejusmodi finium series etsi non minus innumerae sunt quam studia, quibus homines indulgent, in unum tamen culmen, quod *τὸ πρῶτον φίλον* nominat, omnes conveniunt. Propter hoc omnia expetuntur, ipsum solum propter se expetitur. At si omnia hominum studia in illud unum culmen confluere sumserimus, nihil relinquere videbimur, quod homines impediat, quominus quibuslibet desideriis indulgeant, certo confisi se illi primo fini explendo servire et bene agere vel bonos esse. Pariter omnia hominum studia essent colenda, novumque fundamentum primo illo fine (*πρῶτον φίλον*) constituto sophistarum bonum cum jucundo confundentium[1]) doctrinae subjiceretur. Neque negari potest hanc repugnantiam ea opinione, quam de lege imperii a Deo optimo maximo exerciti nobis probatam habeamus, quodammodo confirmari. Qua ratione enim eorum, qui libidines suas nulla lege coërceant, in hoc mundo res secundas cum justitia et sapientia Dei concinere posse, nobis persuadeamus, nisi si improborum quoque flagitia instrumenta esse putemus a Deo adhibita ad summum bonum servandum[2])? Sed hac ratione animalia quoque ventri obedientia summo fini rerum naturae proposito explendo inserviunt. Attamen mali homines illis eo praestant, quod quum illa nullam boni notionem habeant, ipsi falsa boni scientia utuntur. Quibus ii superiores sunt, qui, quam sibi paraverant veram boni scientiam, eam virtute expressam ostendunt. Utramque et veram et falsam boni cognitionem philosophus noster ex amore derivat, quem in Lyside quidem eorum omnium, quibus hominis moveantur, studiorum auctorem exhibet, accuratius tamen in Phaedro describit duo amoris genera discernens alterum rerum puchrarum hac in terra versantium aspectu alterum ideae pulchri, cujus illa vana

---

1) Plato Menon 77.

2) Idem mihi Goethius Faustii loco illo celeberrimo tangere videtur, eam vim quae Dei consiliis resistere videtur talem definiens, quae licet malas res moliatur bonas tamen perficiat:

„Ein Theil von jener Kraft,
„Die stets das Böse will und stets das Gute schafft.“

sint simulacra, recordatione excitatum[1]). Alter amor est hominum voluptariorum et libidinosorum, alter sapientium et honestorum. Plato enim quum omnem certam scientiam a rebus sensibilibus, quippe quae semper moveantur, remotam esse intellexisset, cognitionis veritatem ad ideas vel universalia extra generatas res posita revocavit. Ideae autem non solum genera et formas singularum rerum continent, sed etiam exemplaria *παραδείγματα* sunt, ad quorum similitudinem, quantum fieri possit, omnes res sub sensus cadentes conformatae sint. In illis vero aspiciendis quum homines anteacta quidem vita deorum communione utentes versati sint, nostra scientia, quatenus veritatis particeps est, nihil aliud est nisi recordatio (*ἀνάμνησις*) idearum ab omni aeternitate nobis insitarum. Quae quum lapsu animi in hanc vitam obscurata sit, philosophi id maxime agunt, ut amissam cognitionem, quantum fieri possit, restituant. Quodsi cogitando et ratiocinando in illis ideis versantur, in terrestribus rebus quum omnium idearum tum ideae pulchri simulacra agnoscunt, quippe quae inter omnes idearum effigies propter eum, quem sibi proprium habeant splendorem, visu facillime percipiantur. Ad has ii quidem qui immemores sunt coelestis et aeternae pulchritudinis, pecudum more nulla ejus reverentia tacti incitantur et feruntur, unice corporis voluptates ab iis petentes. Ii vero, in quibus ideae pulchri recordatio pulchrarum rerum aspectu expergefacta est, a pulchri simulacris coelesti quodam amore ad pulchri et boni idearum cognitionem evehuntur. Pulchri enim idea cum boni idea intima necessitate continetur. Pulchrum vero quum id sit, quod diligatur[2]) neque quidquam diligatur nisi quod amantibus proprium (*τὸ οἰκεῖον, τὸ ἑαυτοῦ*) vel optimum sit[3]), vere bonum et pulchrum idem esse evincitur; scilicet id quod ab omnibus hominibus diligatur et expetatur.

---

1) Plato Phaedr. p. 266a; cf. ib. p. 240e; Republ. III. 403a.

2) Aliam pulchri definitionem infra in secundo bonorum ordine explicando afferemus.

3) Plato Charm. p. 163d. Republ. IX. 586e; Lys. p. 221e. Conviv. p. 205e: *οὐ γὰρ τὸ ἑαυτῶν, οἶμαι, ἕκαστοι ἀσπάζονται, εἰ μὴ εἴ τις τὸ μὲν ἀγαθὸν οἰκεῖον καλεῖ καὶ ἑαυτοῦ, τὸ δὲ κακὸν ἀλλότριον· ὡς οὐδέν γε ἄλλο ἐστὶν οὗ ἐρῶσιν ἄνθρωποι ἢ τοῦ ἀγαθοῦ.* cf. Aristot. Eth. Nic. X. 2: *τὸ πᾶσιν ἀγαθὸν καὶ οὗ πάντ' ἐφίεται, τὸ ἀγαθὸν εἶναι.*

Quod in Lyside quidem *τὸ πρῶτον φίλον*, idem in Republica idea boni nuncupatur [1]). Ille primus finis cum rerum universitati propositus est tum alio sensu summum humanum bonum vel finem homini propositum exprimit [2]), cujus qui inscius est, is neque privata neque publica vita quidquam bene agit. Uniuscujusque rei finis, quum illam et desiderabilem et perfectam et intelligibilem reddat, tria principia et amoris et essentiae et cognitionis comprehendit. Quae omnia in idea boni quippe qui summus finis sit, amplificationem quam maximam nansciscuntur [3]). Quorum principiorum cum tribus illis notionibus *συμμετρία, κάλλος, ἀλήθεια*, ex quibus sub finem Philebi (65a) idea boni componitur, convenientiam demonstrandi in singulis bonorum ordinibus explicandis locus erit. Quaecunque bona sunt, ea voluntate et consilio suo comprehendens [4]). Deus mundum idealem condidit omnium, quae cogitatione percipi possunt, pulcherrimum et omnibus numeris perfectum (Tim. 30d.: *τὸ τῶν νοουμένων κάλλιστον καὶ κατὰ πάντα τέλεον*), ad cujus exemplar hunc, quem cernimus, mundum confirmatum esse et mundi pulchritudo et rerum ordo perpetuus et omnium vicissitudinum constantia, ipsius denique opificis praestantia facile unicuique persuadebunt (Tim. 29a). Deus ipse mundum perfectissimum propter bonitatem suam et quia invidiae expers est creavisse dicitur. Bonitas enim ejus, qui aliquid egerit, actionis fine atque consilio constituitur. Cujus cum perfectione invidia,

---

1) Plato Lys. 219d; Republ. VI 505e.

2) Plato Republ. 517c: *δεῖ ταύτην (τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν) ἰδεῖν τὸν μέλλοντα ἐμφρόνως πράξειν ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ.*

3) Plato Republ. VI 508e: *τὸ τὴν ἀλήθειαν παρέχον τοῖς γιγνωσκομένοις καὶ τῷ γιγνώσκοντι τὴν δύναμιν ἀποδιδὸν τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν φάθι εἶναι, αἰτίαν δ' ἐπιστήμης οὖσαν καὶ ἀληθείας* VII 517c: *αὐτὴ κυρία ἀλήθεια καὶ νοῦν παρασχομένη* ......

Itaque boni cognitio (Rep. VI 505a) maxima esse dicitur, qua si careamus, etiamsi alia quam maxima noverimus nullam inde nobis utilitatem fore 505e: Bonum igitur ab omni anima expeti ejusque gratia omnia agi; cf. Rep. VII 519c; Legg. XII 962d; Aristot. Eth. Nic. I, 1, ubi finis dicitur unus semper respiciendus esse, ad quem omnia quasi tela dirigenda sint. Illius finis naturam praeclare in Gorgia (507d) describit. cf. Aristot. Metaph. ed. Brandis. p. 256.

4) Plato Tim. 30a: *βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα κ. τ. λ.*

quae ex indigentiae sensu oritur, minime convenit. Bono igitur opifici Deus Platonicus aequiparatur, qui ubi consilium operis perficiendi cepit, primum in exemplaris cujusdam perfecti formam illud ipsum consilium redigit, ad quod denique ipsum opus conformet.

Plato in formanda optimae vitae imagine alia ratione uti videtur. Illam primam cogitationem, ex qua futuri operis perfectio pendet, in Philebi initio mente nondum concepisse videtur. Artificis instar, qui quum ipse consilii impos sit, ex aliorum operibus jam perfectis suo usui aliquod exemplar colligit, quaenam sint optimae vitae rationes et a Cyrenaicis et a Megaricis propositae quaerit, quorum optimis elementis, quantum fieri possit, conjunctis novam eamque illis multo meliorem imaginem effingat. Neque imprudenter in eligendis illis elementis versari videtur. Modulo enim mixtionis ex normis utriusque illius vitae generis constituto (*τέλεον, αἱρετόν, ἱκανόν*) ubi neutrum vitae genus per se, sed novum demum ex utroque illo mixtum et temperatum congruere intellexit, utrumque illud tantum abest, ut temere conflet, ut novo examini singulas utriusque partes subjiciat, eas electurus, quae sine aliarum cum illis simul componendarum damno inter se conjungi possint. Quae compositio quantum absit a perfecti et vere boni operis laude, Plato ipse indicare videtur, spem valde incertam nobis ostendens fore ut ex illa mixtione optimae vitae idea indagari possit[1]). Attamen ei id quod cujusvis mixtionis perfectam conditionem constituat quaerendo contingit, ut illam ideam cum idea boni convenientem eruat et ex tribus notionibus *κάλλος, συμμετρία, ἀλήθεια* eam constantem ostendat. Atque nunc demum majus quid quam prudentem aliorum philosophorum sectatorem Plato semet ipse praebet. Nunc enim intelligimus eum totius dialogi compositionem dialecticae illius rationis, quam ipse in Philebo (14a — 18c) ad rerum notiones inveniendas aptissimam tradiderat et exemplis illustraverat, exemplar nobis proposuisse. Illarum enim sententiarum, quae de optima vita in exordio dialogi proferuntur, mixtio optimarum vitarum generatarum infinitatem exhibet ex ideae constantis unitate tanquam dif-

---

1) Plato Phileb. 63e: *τὰς δ' ἀεὶ μετ' ἀφροσύνης καὶ τῆς ἄλλης κακίας ἑπομένας πολλή που ἀλογία τῷ μιγνύναι τὸν βουλόμενον ὅ τι καλλίστην ἰδόντα καὶ ἀστασιαστοτάτην μίξιν καὶ κρᾶσιν ἐν ταύτῃ μαθεῖν πειρᾶσθαι, τί ποτε ἔν τε ἀνθρώπῳ καὶ τῷ παντὶ πέφυκεν ἀγαθὸν καὶ τίνα ἰδέαν αὐτὴν εἶναί ποτε μαντευτέον.*

fusam. Neque mirum videtur illam vitarum conjunctionem optimae vitae ideae non omni ex parte respondere. Hoc enim generatarum rerum proprium est, ut ab iis ideis, ad quarum similitudinem conformatae sint, vel *ὑπερβολῇ* vel *ἐλλείψει* differant[1]). At Plato in analytica via perfecta non acquiescit, sed inverso ordine ab ideae unitate ad generum et formarum multitudinem reversus illa elementa quae, primae compositionis periculo facto, etsi ab idea ipsa aliena fuerant, propter vitae necessitates ad mixtionem optimae vitae admittebantur, nunc ejicit, nova elementa cum ideae natura convenientia adjicit. Qua via ille bonorum ordo constituitur, quem hac scriptione accuratius explicandum nobis proposuimus.

CAPUT III.

Prima bonorum series a Platone his verbis describitur:

> *Πάντῃ δὴ φήσεις, ὦ Πρώταρχε, ὑπό τε ἀγγέλων πέμπων καὶ παροῦσι φράζων, ὡς ἡδονὴ κτῆμα οὐκ ἔστι πρῶτον οὐδ᾽ αὖ δεύτερον, ἀλλὰ πρῶτον μέν πῃ περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον καὶ πάντα, ὁπόσα χρὴ τοιαῦτα νομίζειν τὴν ἀΐδιον ᾑρῆσθαι φύσιν.*
>
> „Omnibus igitur, o Protarche, et per nuntios et voce praesenti declarato voluptatem neque primum neque secundum bonum esse sed primum bonum esse modi, moderati, opportuni omniumque eorum, quae sempiternam naturam sibi collegisse putentur, possessionem.“

Fere nusquam alibi Plato tanti ponderis verba exstruit, nusquam alibi ejus oratio ita supra fines dialogi evolat, ut non solum praesentibus, sed etiam absentibus hominibus dicta esse videatur, quam nostro loco, quo antequam primum suum bonum constituit, voluptatem non solum de primo, sed etiam de secundo loco removendam esse dicit. Quod qui consideraverit, eum non fugiet hanc sententiam prae aliis Platoni curae cordique fuisse, id quod ipse extremo dialogo confirmat, se graviter tulisse dicens, quod Philebus aliique innumerabiles voluptatem mente multo potiorem et vitae humanae

---

1) Plato Phaedo. p. 74a. sqq.; 93d. 101e. 102b; Polit. p. 283.

utiliorem esse putaverint[1]). Neque minoris momenti est, quod veritas sententiae, quae in voluptate de primo loco removenda sine ulla dubitatione affirmatur in nova notione proponenda, dubitativa particula *πή* adjecta, minus explorata esse videtur, id quod nemini mirum esse poterit, qui meminerit, lectorem a Platone in refutandis aliorum placitis ad multo certiorem veritatis fidem perduci quam in novis sententiis et explicandis et confirmandis. Notionem enim nunc proponendam ideae boni partibus quidem in Philebo jam adnumeravit, sed, qua ratione eam ex optimae vitae mixtione derivaverit, non ostendit. Sed haec quidem in transcursu; nunc ad ipsarum singularum notionum, quas Plato in primo bonorum ordine collocavit, vim et naturam explicandam transeamus. Quarum prima modi notio est. Proprio sensu, ‚modus' instrumentum est ad corporum magnitudinem describendam constitutum numeroque opponitur multitudinem rerum definienti[2]). Sed hac propria significatione nec numeri nec modi notio tota continetur. Sicuti enim vocum ‚magnitudo' *μέγεθος* et ‚multitudo' *πλῆθος* notiones non solum altera in alteram transeunt atque in unum conveniunt, sed etiam ad alias rerum qualitates describendas usurpantur[3]), ita etiam voces *μέτρον* et *ἀριθμός* altera ab altera notiones mutuantur et ad res qualibet ratione definiendas patent[4]). Rei autem cujusque qualitates aut aliis rebus cum illa comparatis (*κατὰ τὴν πρὸς ἄλληλα μεγέθους καὶ σμικρότητος κοινωνίαν*) aut sua ipsius natura in se spectata (*κατὰ τὴν ἀναγκαίαν οὐσίαν*) definiuntur[5]). Atque in altero quidem modi genere constituendo mathematica vulgaris, quae duarum pluriumve rerum longitudines et parvitates inter se comparat, in altero vero idearum scientia vel dialectica versatur. Quum enim in rerum natura omnia ea tenus tantum vera sint, quatenus idearum sunt participia, ideam et necessariam essentiam unum idemque esse sequitur. Cui duplici modi et rationi et cognitioni respondere videtur, quod Aristoteles Platonem numerorum

---

1) Plato Phileb. 66e.

2) Plato Legg. IX 861b: *βλάβαι γὰρ ἀκούσιοι τῶν πάντων οὔτ' ἀριθμοῖς οὔτε μεγέθεσιν ἐλάττους εἰσὶ τῶν ἑκουσίων.*

3) Plato Legg. XI 913b: *πλῆθος θησαυροῦ παμμεγεθές.*

4) Sic Plato (de Legibus II. 266) de numeris corporis *ἀριθμ τοῦ σώματος* loquitur quaelitast significans.

5) Plato Politic. 284d.

quoque duo genera posuisse tradidit, alterum quidem numerorum vulgarium *ἀριθμοὶ μαθηματικοί*, alterum vero intelligibilium *ἀριθμοὶ νοητοί* [1]). Atque alterius quidem generis numeros, quia ex unitatibus inter se paribus constent, apud Platonem conjunctionis capaces esse *συμβλητοί*, alterius vero generis idearum vim habere et quia qualitatibus valeant inter se imparibus conjunctionem non admittere [2]). In Platonis ipsius dialogis hujus doctrinae ambigua tantum vestigia adsunt, quae multo magis ad discrimen inter numeros mathematicos eorumque ideas quam ad discrimen inter illos rerumque ideas numerorum specie expressas intercedens spectare videntur [3]). Aristoteles ipse Platonem provecta demum aetate [4]) ad illam de ideis sententiam pervenisse tradit, quam in Epinomide quoque, qui liber academiae veteri tribuitur, minore certe cum subtilitate quam gravitate pronuntiatam invenimus. Modo et numero tertiam vocem addit *τὸ πέρας*, finem, ejusdem notionis. *Πέρας* enim est quodcunque certum modum et ordinem iis, quae ipsa non sunt finita (*ἄπειρα*), infert, quae diversae et adversae sint naturae, ea determinando et disponendo concilians [5]). Attamen etsi finis vel limitis notione modum et numerum contineri dicit [6]), tantum abest, ut Plato, qua ratione genus *πέρας* in illas formas dividendum sit, ostendat, ut tres notiones pro-

---

1) Aristot. Metaph. ed. Brandis A. 28. 3. M. 270. 7.

2) Aristot. Metaph. ed. Brandis M. 269. 31: *ἀνάγκη δ', εἴπερ ἐστὶν ὁ ἀριθμὸς φύσις τις καὶ μὴ ἄλλη τίς ἐστιν ἡ οὐσία, ἀλλὰ τοῦτο αὐτὸ, ὥςπερ φασί τινες, ἤτοι εἶναι τὸ μὲν πρῶτόν τι αὐτοῦ τὸ δ' ἐχόμενον ἕτερον ὂν τῷ εἴδει ἕκαστον. καὶ τοῦτο ἢ ἐπὶ τῶν μονάδων εὐθὺς ὑπάρχει καί ἐστιν ἀσύμβλητος ὁποιαοῦν μονὰς ὁποιαοῦν μονάδι· ἢ εὐθὺς ἐφεξῆς πᾶσαι καὶ συμβληταὶ ὁποιαιοῦν ὁποιαισοῦν, οἷον λέγουσιν εἶναι τὸν μαθηματικὸν ἀριθμόν, ἢ τὰς μὲν συμβλητὰς, τὰς δὲ μὴ* . . . cf. M. 278. 22.

3) Plato Phileb. 56d. sqq. Republ. p. 525d. sqq; Tim. 35b. sqq.

4) Aristot. Metaph. ed. Brandis M. 265. 26.

5) Plato Parm. 137d: *τελευτή γε καὶ ἀρχὴ πέρας ἑκάστου, ἄπειρον ἄρατὸ ἕν, εἰ μήτε τελευτὴν μήτε ἀρχὴν ἔχει.* Phileb. 25e: *ὁπόση παύει πρὸς ἄλληλα τἀναντία διαφόρως ἔχοντα, σύμμετρα δὲ καὶ σύμφωνα ἐνθεῖσα ἀριθμὸν ἀπεργάζεται.*

6) Plato Phileb. 25b: *πᾶν ὅτι περ πρὸς ἀριθμὸν ἀριθμὸς ἢ μέτρον ἢ πρὸς μέτρον, ταῦτα ξύμπαντα εἰς τὸ πέρας ἀπολογιζόμενοι καλῶς ἂν δοκοῖμεν δρᾶν τοῦτο.*

miscue usurpet fere nullo inter eas discrimine relicto[1]). Ille formarum modus et numerus individuorum vagae et indefinitae multitudini *τοῖς ἀπείροις καὶ γιγνομένοις* finem et essentiam *οὐσίαν* impertitur neque aliud quidquam est nisi essentiae principium *τὸ ἕν* vel *τὸ ἀγαθόν* vel idea boni, quae quum a Platone supra essentiam ponitur tum in scholis eorum, qui illum secuti sunt, *τὸ ἕν* nuncupatur[2]). Differt enim illa a singulis essentiis vel ideis, quae eatenus tantum et sunt et cognoscuntur, quatenus sicuti radii ad centrum, ad illum primum suum fontem et finem spectant[3]). Ideae quum species sint, ad quarum exempla, quaecunque res sub sensus cadunt, effictae sint[4]), ex materia quadam intelligibili et ex forma constant[5]). Quam ad formam ab intelligibili materia liberatam omnibus demum ideis collectis pervenimus[6]). Quodsi numeri secundum Platonis doctrinam pro ideis habentur[7]), optime cum hac idearum ratione concinere videtur, quod idea boni *τό ἕν* nominatur. Ille enim numerus, quum numerorum elementa non solum singula sed etiam conjuncta exprimat, omnium ceterorum et fons et finis est sicuti idea boni idearum et fons et forma et finis. Quodsi igitur quascunque definitiones notionum *τὸ πέρας, τἀγαθόν, τὸ ἕν, τὸ μέτρον* Plato exhibet, eae minime inter se discrepant, immo vero omnes in summo fine rerum universitati proposito, quo summum quoqne finem homini propositum absolvi jam supra demonstravimus, significando conveniunt, quam ab rationem Plato notioni *μέτρον* primum locum tribuerit, dubiumnon erit.

---

1) Plato Phileb. 26d: *ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν, ἓν τοῦτο τιθέντα τὸ τούτων ἐκγόνον ἅπαν, γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων.*

2) Plato Rep. VI. 508e — 509b: *οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ᾽ ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος.* — Aristot. Eth. Eud. I. 8: *παράβολος δὲ καὶ ἡ ἀπόδειξις ὅτι τὸ ἓν αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν, ὅτι οἱ ἀριθμοὶ ἐφίενται.*

3) Plato Republ. VI. 511a. sqq., VII. 532a; Phaedr. 247c.

4) Plato Phaedo 78e; Tim. 52a; Parm. 140c; Phaedo 102b.

5) Aristot. Phys. III. 4. ed. Bkk. p. 203a 9: *τὸ μέντοι ἄπειρον καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καὶ ἐν ἐκείναις ταῖς ἰδέαις εἶναι.*

6) Plato Republ. VII. 517b: *φαίνεταί μοι ἐν τῷ γνωστῷ τελευταία ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα καὶ μόγις ὁρᾶσθαι, ὀφθεῖσα δὲ συλλογιστέα εἶναι ὡς ἄρα πᾶσι πάντων αὕτη ὀρθῶν τε καὶ καλῶν αἰτία.*

7) Arist. Metaph. A ed. Brandis p. 20. *οἱ μὲν γὰρ Πυθαγόρειοι μιμήσει τὰ ὄντα φασὶν εἶναι τῶν ἀριθμῶν, Πλάτων δὲ μεθέξει.*

At Plato etsi in Republica [1]) ideam boni ab hominibus vix percipi et comprehendi posse docet, nostro loco de possessione modi (κτῆμα περὶ μέτρον) loquitur. Quae difficultas tolli nobis videtur, modo, qua definitione vox κτῆσις a Platone in Theaeteto illustrata et a voce ἕξις disjuncta sit, recordemur. In illo dialogo quamcunque scientiam homines se sibi paravisse putent, eam quoties adhibere velint, sibi memoriae auxilio denuo construant, necesse esse docet. Mentem enim aviario, mentis notitias avibus aequiparat in aviario inclusis, quarum venatione ei opus sit, qui notitias, quas aliquando sibi paraverit, in usum revocare velit [2]). Quid est, quod nos impediat, quominus hanc imaginem ad eam venationem traducamus, qua homines sapientes ideam boni vita ante acta jam aliqua ex parte perceptam denuo apprehendant? Nonne Platoni illam (ἀνάμνησιν) recordationem respicienti ideam boni κτῆμα nominare licuit, cujus ἕξιν ut adipiscatur, homini tum demum continget, quum post mortem communione Dei fruiturus est? Omnis res notioni suae plane adaequata a Platone οὐσία vel τὸ ὄν, scientia autem rei, quatenus notionem ipsam amplexa est, τἀκριβές nominatur, utramque et essentiae et cognitionis cum notione congruentiam consociatam uno nomine expressit, ἀλήθεια. (Theaet. 186. A.) Utroque munere etiam τὸ μέτρον fungitur, ut et τἀκριβές et τὸ ὄν significet [3]). Testis est hujus usus sophistarum illa multum celebrata et

---

1) Plato Republ. VII. 517b.

2) Plato Theaet. 199b. neque est, quod nobis objiciatur duas ibi venandi rationes inter se dicerni, alteram comparandi, alteram recuperandi scientias. At haec disjunctio gradationem quandam adumbrat, per quam a sensuum perceptione vel venatione ipsorum notitias memoriae tanquam aviculario servandas tradente ad secundam venationem, quae ad δόξαν opinionem parandam suscipitur, ascendimus. In Menone (81a sqq.) autem omnis scientia ad ἀνάμνησιν revocatur.

3) Sic in Republ. VI. 504b. sqq. orationes, quae de virtutibus minore cum accuratione (ἀκρίβεια) vel earum vi et natura non plane cognita habentur ἄμετροι καὶ ἐλλιπεῖς nominantur. Nam „talium rerum modus, quamcunque veritatis partem omisit, immoderatus exsistit“ (μέτρον τῶν τοιούτων ἀπολεῖπον καὶ ὁτιοῦν τοῦ ὄντος οὐ πάνυ μετρίως γίγνεται). Sic Gorg. 487c de accurata in philosophando diligentiae (εἰς τὴν ἀκρίβειαν φιλοσοφεῖν) loquens, quae usque ad rerum notionis intrepida progreditur, nec dum iter perfectum sit, subsistit, quaestionis summam verens. Sic Phil. 23a. de examine ac-

a Platone acerrime impugnata sententia hominem esse rerum mensuram. Illi enim, quum omnia ad proprias cujusque et sensuum perceptiones et mentis opiniones referrent [1]), qualia quaeque cuique viderentur, talia quoque esse contenderunt nec veritatem nec virtutem ulla re alia nisi opinione pendebant [2]). Ejusmodi rerum congruentiam nec cum sensuum perceptionibus nec cum opinionibus inde fluentibus exsistere Platonis sententia erat. Sed quum rerum absolutam perfectamque essentiam in ideis solis ponendam, tum Deo soli illarum cognitionem tribuendam esse putavit [3]). Sophistarum igitur illud ita mutavit ut non hominem sed Deum ipsum rerum mensuram esse praedicaret [4]). Quae sententia a nonnullis in eam opinionem detorquebatur, ut apud Platonem Deum ipsum nihil aliud esse nisi ideam boni inde concluderent. Cui interpretationi totius illius Platonici loci nexus adversatur. Tantum enim abest, ut *μέτρον* illius enuntiationis subjectum sit et sententia hoc nexu procedat: *τὸ μέτρον ἐστὶ θεός*, quem certe eorum, qui Deum in modo ponunt, sententia postulat, ut consulto voci *μέτρον*, quod praedicatum enunciationis est, nonnulla verba adjecta sint, sensum ad aliam certe sententiam transferentia. Tota enim enunciatio haec est: *ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ πού τις, ὥς φασιν, ἄνθρωπος* [5]). Quae verba optime concinunt cum loco illo Reipublicae, quo ideam boni vix intelligibilem esse (*μόγις ὁρᾶσθαι*) designavit. Ideam enim boni omnis essentiae principium esse et mente divina sola percipi posse ratus homines ad illius cognitionem plus minusve tantum appropinquare et rerum omnium imperfectam tantum scientiam sibi parare posse constituit. Quacum scientia si Dei intelligentiam comparaveris, illa

---

curato vel cum veritate congruenti ut de *ἀκριβεστάτῃ βασάνῳ* loquitur. Neque alienum videtur ad vocis *ἀκριβής* usum significandum ejus conjunctionem cum nomine *θώραξ* Xenoph. Mem. III. 10. 15. conferre, ubi lorica designatur cum corporis formis accuratissime congruens.

1) Plato Cratyl. 385e. Theaet. 152a. 177c.

2) Protag. 337d; Gorg. 483a; Republ. II. 358e—359e. Legg. V. 714 sqq. al.

3) Plato Parmenid. 134c. sqq: *οὐκοῦν - εἴπερ τι ἄλλο αὐτῆς ἐπιστήμης μετέχει, οὐκ ἂν τινα μᾶλλον ἢ θεὸν φαίης ἔχειν τὴν ἀκριβεστάτην ἐπιστήμην;*

4) Plato Legg. IV. 716c.

5) Plato Legg. IV. 716c.

quidem minus accurata, haec autem, multo certior quam cujusvis, ut ferunt, hominis rerum mensura apparet. Itaque rerum mensura vel idea boni tantummodo cogitatio Dei ab ipso comprehensa loco illo dicitur. Unde totam Dei naturam illa idea plane absolvi minime sequitur. Nec modo norma ad quam judicium nostrum fingendum sit, sed etiam finis studiis humanis propositus vel et orationum (*ἐν λόγοις*) et actionum (*ἐν ἔργοις*) principium[1]) voce *μέτρον* exprimitur. Quae cogitanti *μέτρον* non solum res cognitioni obversans (*θέαμα νῷ θεάτῃ*), sed etiam meta (*σκόπος*) esse, ad quam voluntas dirigenda sit, videtur. Quarum altera mentis actio ab altera non re, sed cogitatione sola disjungi potest. Quod optime cum alia Platonis sententia convenit, qua bonum intelligere et bene agere unum idemque esse constituitur. Aeque una voce expressam duplicem modi naturam et cogitatione et actione (*ἐν λόγοις καὶ ἔργοις*) absolutam, scilicet *τὸ οὔπως γιγνόμενον* vel *τὸ ὄν*, rerum mutabilium universitati (*τῷ μὴ ὄντι*) opposuit, quae cum constanti et absoluta idearum essentia comparata omnino non esse videtur. Quodsi in fine ullius rei duplex necessitas inest, ita ut sine illo res ipsa nec cogitari neque existere queat, Plato hunc finem duabus quoque vocibus expressit et *πέρας* et *τέλος*, cui utrique lingua Romana unam solam vocem, finis, substituit. Utrumque autem et *πέρας* et *τέλος* ‚modo' (*μέτρῳ*) continetur, qui circuli centro similis duplicem vim habet, ut et finis (*τέλος*) sit, ad quem omnes circumfusi spatii partes spectent, et vis, quae illas partes et pari intervallo a centro disjungat et orbiculari peripheria contineat. Centrum autem orbis propterea quoque supremi modi vel ideae boni simile videtur, quia, etsi ipsum formae expers est, causa tamen est, quae rerum ad se spectantium formas constituat. Similibus imaginibus jam Philolaus usus est modi naturam tanquam centralem ignem in media rerum universitate collocatum definiens. *Φιλόλαος πῦρ ἐν μέσῳ περὶ τὸ κέντρον, ὅπερ ἑστίαν τοῦ παντὸς καλεῖ καὶ Διὸς οἶκον καὶ μητέρα θεῶν βωμόν τε καὶ συνοχὴν καὶ μέτρον φύσεως καὶ πάλιν πῦρ ἕτερον ἀνωτάτω τὸ περιέχον, πρῶτον δ' εἶναι φύσει τὸ μέσον*[1]). Similia sunt, quae praeterea de illo igne praedicantur *τὸ πρᾶτον ἁρμοσθέν*, *τὸ ἕν ἐν*

---

1) Plato Politicus 283e.

τῷ μέσῳ τῆς σφαίρας. Illa nomina *ἑστία τοῦ παντός, Διὸς οἶκος, κέντρον* allegorice ab altari deae *Ἑστίας* in media quaque civitate collocato, in qua vitalis civitatis flamma flagrabat, ad eam unitatem (*μέτρον καὶ συνοχήν*) traducuntur, qua et cuncta rerum universitas continetur, et suos sibi modos et fines quaeque res nanciscitur. Illud autem *μέτρον* a Pythagoreis nec cum deo ipso nec cum anima mundana confundebatur, sed tanquam sedes regia Jovis vel pectus, unde anima per totum corpus diffusa vim vitalem acciperet, habebatur.

Cum modi notione eae, quae primae seriei praeter illam adjectae sunt, notiones *μέτριον καὶ καίριον* ita cohaerent, ut veritatem et essentiae et cognitionis, quem universum finem esse intelleximus, seu ad singulas res seu ad singulos casus coërceant. Quae vel res vel cogitatio, quum illi tum suo proprio fini satisfaciens *μετρίου φύσιν* vel moderati naturam sibi consentaneam adepta est. Sic in dissertatione unaquaque[2]) judicanda, num *μετρία* sit, non id respiciendum esse dicit, utrum longior sit an brevior, sed id unice quaeri, num id quod ipsi propositum fuerit, ut audientium legentiumve dialecticam facultatem exerceat et promoveat, assecuta sit. Quum vero vel legentibus vel audientibus non eadem sit indoles neque ingenium, pro casuum varietate res ipsae quoque variis rationibus tractandae erunt. Cujus opportunitatis cognitio philosophiae ope non minus nititur, quam rerum ipsarum, de qnibus sermo habendus est, notitia. Quem ad modum enim ars medica non solum medicamentorum, sed etiam corporis humani notitiam requirit, sine qua illorum usus nullus esse potest, ita ars oratoria, si quidem ea recte usurus es, necessario postulat, ut non solum res, de quibus, sed etiam eorum, coram quibus loquamur, naturas perspectas habeamus. Nam hac demum animi notitia comparata judicare orator poterit, et quam varia sint eloquentiae genera, et qualem in animos hominum vim et efficaciam habeant, et quibus opportunitatibus singula ad usum revocanda sint[3]). Cujus casuum opportunitatis (*καιρός, τὸ καίριον*) Plato rationem habet, duas virtutes, fortitudinem *ἀνδρείαν*, modestiam *κοσμιότητα*, quarum naturae ita sint inter se diversae, ut altera alteram prorsus

---

1) Stob. Ecl. Phys. I. p. 488.
2) Plato Politicus 288c.
3) Plato Phaedr. 269—272.

excludere videatur, consociari jubens[1]). Quicunque harum virtutum alterutra sunt praediti, ii toto vitae genere ab iis discrepant, qui altera sunt ornati, quum modesti et temperantes vitae tranquillitati et paci studeant, fortes bella et pericula amplectantur, alteri alteros reprehendant sibique contraria agant. Utraque virtus neque exsistere neque altera cum altera vel conciliari vel consociari potest nisi opportunitatis *καιροῦ* habita ratione. Quotiescunque utraque opportune utimur, laudamur simulatque intempestive utramque adhibemus, in crimen incurrimus et pro fortibus insani superbi petulantes, pro temperantibus timidi molles inertes audimus. Quae casuum cura licet speciem quandam inconstantiae efficiat, cum summo tamen consilio hominum studiis proposito optime potest conciliari. Exemplo esse possunt Socratis de summo bono humano sententiae nobis traditae eadem ratione inter se discrepantes. Aliis ille virtutem, aliis scientiae studium, aliis felicitatem sectandam commendavit. Ii discipuli, qui quidnam *μέτριον* commune *τῶν καιρίων* discrepantiis subesset, non agnoscebant, in magistri, cujus nomen prae se ferebant, doctrina tradenda ita discesserunt, ut, nisi aliunde lux nobis admota esset, vera Socratis de summo bono sententia perspici minime posset. Quod Platoni non accidit. Qui quum ex dissensionum illarum specie veritatem altius insitam evolveret, Socraticae doctrinae novum principium subjecit *τὸ μέτρον* aeterna consensione *τοῦ μετρίου καὶ τοῦ καιρίου* expressum, ita ut Socrates ipse nunc nobis ante oculos collocatus sit semper verus et sibi ipsi constans.

Pythagorei opportunitati non minorem vim vel auctoritatem tribuerunt. Qui quum divino imperio modum et ordinem in hunc mundum redundare contenderent, hominibus id potissimum propositum esse voluerunt, ut Dei semper memores essent. Quod si facturi essent, semper eos justos fore. Justitiam autem per se minime iis sufficere, sed curam quoque opportunitatis adjungendam esse, ne quid perficeretur, quod neque cum aliorum dignitate neque cum temporum ratione congrueret. Ingenue autem confitentur illam opportunitatis curam certa regula se exprimere non posse[2]). Neque in Pytha-

---

1) Plato Politicus 306c.

2) Jamblich. Vit. Pythagor. ed. Kuester p. 148 cf. Staeudlin Gesch. der Moralphil. S. 51.

goreorum doctrinae sola, sed in Platonica quoque illa certa lex desideratur, qua sua quisque consilia moderari possit. Quodsi quis quaerat, qua ratione et communis modus *τὸ μέτρον* et quid in singulis seu rebus seu casibus moderatum sit *τὸ μέτριον*, *τὸ καίριον* dignosci possit, Plato id unum nobis praecipit, ut rerum terrestrium veluti sordibus dejectis ad ideas confugiamus [1]. Quam operam nemo suscipiet nisi philosophus, quem anteactae vitae recordatio amore boni et pulchri inflammavit. Aliam tanquam primariam philosophiae moralis legem in Platonis doctrina quaerere irritum est. [2]

Qui quum tantum abesset, ut in rei publicae imagine adumbranda civitatis ordinem certis legibus describeret, ut principem vera sapientia pollentem tanquam *νόμον ἔμψυχον* civitati praepositum esse vellet [3], certo confisus eum ex idearum cognitione principium sibi derivaturum esse, unde, quaenam quibusque vitae rationibus leges servandae essent, sibi probaretur, singulis quoque hominibus ideam illam aeternam immanentem esse voluit, unde quid vel in quaque re *τὸ μέτριον* vel in quoque casu *τὸ καίριον* agendum esset, sibi ipsi possent explicare. Utraque igitur notio quum nihil aliud

---

1) Plato Republ. III 500c: *οὐδὲ γάρ που . . σχολὴ τῷ γε ὡς ἀληθῶς πρὸς τοῖς οὖσι τὴν διάνοιαν ἔχοντι κάτω βλέπειν εἰς ἀνθρώπων πραγματείας, καὶ μαχόμενον αὐτοῖς φθόνου τε καὶ δυσμενείας ἐμπίπλασθαι, ἀλλ' εἰς τεταγμένα ἄττα καὶ κατὰ ταὐτὰ ἀεὶ ἔχοντα ὁρῶντας καὶ θεωμένους οὔτ' ἀδικοῦντα οὔτ' ἀδικούμενα ὑπ' ἀλλήλων, κόσμῳ δὲ πάντα καὶ κατὰ λόγον ἔχοντα ταῦτα, μιμεῖσθαί τε καὶ ὅτι μάλιστα ἀφομοιοῦσθαι.*

2) Itaque jam inter Platonis aequales multi illum reprehendebant spe sua se aut publicae aut privatae hominum vitae conducibile quid ex illius de summo bono doctrina sibi comparaturos esse decepti. Quorum indignationem Aristoxenus praeclare describit in libro suo de Harm. II. p. 30: *Ἀριστοτέλης ἀεὶ διηγεῖτο τοὺς πλείστους τῶν ἀκουσάντων παρὰ Πλάτωνος τὴν περὶ τ' Ἀγαθοῦ ἀκρόασιν παθεῖν. — προσιέναι ὑπολαμβάνοντας λήψεσθαί τι τῶν νομιζομένων τούτων ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν, οἷον πλοῦτον, ὑγίειαν, ἰσχὺν, τὸ ὅλον εὐδαιμονίαν τινὰ θαυμαστήν. ὅτε δὲ φανεῖσαν οἱ λόγοι περὶ μαθημάτων καὶ ἀριθμῶν καὶ γεωμετρίας καὶ ἀστρολογίας, καὶ τὸ πέρας ὅτι ἀγαθόν ἐστιν ἕν, παντελῶς οἶμαι παράδοξόν τι ἐφαίνετο αὐτοῖς* cf. Plut. vit. Dion. 14.

3) Plato Polit. 294a. 300c. Stallbaum Prolegg. ad Pol. p. 19. p. 82. cf. Brandis Gr. Röm. Phil. II. 1. p. 514.

nisi summum finem in singulis seu rebus seu casibus spectatum repraesentet, mirum non est, quod a Platone illud *μέτριον* et *καίριον* non minus aeternum habetur, quam *τὸ μέτρον* ipsum. Quaerentibus nobis quid Plato sibi voluerit illis notionibus *τὸ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ τὸ καίριον* aliarum multitudinem non definitam *καὶ πάνθ' ὁπόσα τοιαῦτα* adjiciens, conferendus est locus Politici 284e, ubi *τὸ μέτριον* cum *τῷ πρέποντι καὶ τῷ καιρῷ* componitur itemque locus Reipublicae II 500, ubi *τὸ θεῖον καὶ τὸ κόσμιον* veluti principia exhibentur, quibus servatis omnis virtus efficiatur. Illa omnia nomina varia rei ejusdem esse patet.

VITA.

Natus sum Ratiboriae Calendis Majis anni MDCCCXXXI patre *Simone* Rabbino, matre *Sarah* e gente Waldstein, quos deus benignus mihi adhuc servavit, diuque servet. Primis disciplinae elementis ab Hollaendero, viro humanissimo, qui tum scholae privatae urbis meae praeerat, imbutus novem annorum puer in quartam classem Gymnasii, quod ibidem *Haenischio*, postea *Mehlhornio* directoribus florebat, receptus sum.

Mense Majo anni MDCCCXLVIII examine superato in academiam Berolinensem transgressus, per tria semestria praecipue in sacrarum litterarum ac philosophiae studium incubui, per quatuor semestria philologiae operam dedi. *Vatkii*, *Dietericii*, *Trendelenburgii*, *Boeckhii*, *Franzii*, *Koepkii*, *Benekii* scholis interfui. His viris omnibus doctissimis atque optime de me meritis gratias quam possum maximas habeo semperque habebo.

THESES.

1. Quod Platoni cognomen datum est, *Μωΰσης Ἀττικίζων* (Clem. Alex. Stromatt. I. p.342), id non plane rejiciendum, sed cum restrictione quadam et sub conditione retineri posse videtur.
2. Plurima Platonicae civitatis praecepta ne hodie quidem obsoleta sunt.
3. Discrimen, quod a Kantio statuitur inter enunciationes analyticas et syntheticas, nullum est.
4. Antigonae versum 40 sic refingendum esse censeo:

   (v. 39 *τί δ', ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ*)
   λύουσ' ἂν εἴθ' ἅπτουσα προσθείμην πλέον;
5. Hor. Satir. II 3, 203

   Qui species alias veris
   legendum esse censeo.
6. Libri Coheleth auctorem non id sibi proposuisse censeo, ut vitae voluptates fruendas nobis commendaret.